



M.-s. 1297

Am F.  
R

2197.6

F. A. 3 May 3  
1831 oho



ELEGIA  
**DE HORRIBILI ET**  
**TREMENDA SPECIE HIC**  
 VVITEBERGÆ ET IN VICINIS LOCIS  
*conspœcta, & obseruata ab hominibus fide  
 dignis, Die 13. Martij. Anno  
 1562. scripta*

*A*  
**M. GEORGIO MAVRICIO**  
*Noribergensi.*



VVITEBERGÆ  
 EXCVDEBAT IOHANNES  
 CRATO  
 ANNO M. D. LXII.

Clariss. Viro, eruditione  
et iuritate præstanti D.  
M. Sebastiano Theodorico  
præceptor et amico suo.

En tibi nostrum Theodore amice  
Carmen extractum tenui Thalia  
De recente iusa specie tremenda  
Trado legendum.

Dum mihi labens fuerit superstes  
Vita, non unquam Stygijs in undis  
Illa mergentur benefacta, nobis  
Quæ tridisti.

Si quia mens alto religua est Olympo,  
Cura quam recti tenet naut honesti  
Pro suis in me moritis abiude  
Præmia reddat.

Iam sed ut claudit breue carmen istud  
Debitis finis, uale cum Rebecca  
Coniuge, et caris Theodore natis  
Tempore cuncto.

CLARISSIMO VIRO, SAPIEN-

TIA, ERVDITIONE ET VIRTUTE EXCELLENTI, D.

HIERONYMO BOMGARTNE.

RO, Patricio Noribergensi, & Senatori

Primario, Mecœnati suo unicè  
colendo.

CLare uir, & cunctis summa pietate colende,

Qui decus es patriæ præsidiumq; meæ:

Fortis Alexander mira dulcedine uoluit

Smyrnæi assiduò nobile vatis opus.

Idq; habuit secum, Martis ceu dulce leuamen,

Terribilem sonitum dum tuba rauca dedit.

Quin etiam placidæ committens membra quieti

Dicitur hoc stratis supposuisse suis.

Huius ad exemplum, vir præstantissime, Regis,

Tu quoq; Doctorum uoluere scripta soles.

Nec te uel senium studio remoratur ab isto,

Nec graue, quod gestas, totius urbis onus.

Ergo docta cohors meritò ueneratur, amatq;

Te, tantum studijs et pietate senem.

Sospite te florent Respublica, templa, scholæq;

Nam sacra Pierij numina fontis amas.

Et cùm sit doctas tua mens exculta per artes,

Est tibi Pegasei maxima cura gregis.

A 2 Musarum

*Musarum ac quoniam pectus tibi flagrat amore,  
Quæ sine iam digno prorsus honore iacent,  
Vnica Mecænas istos tibi dedico uersus,  
Quos tenui struxit nostra Thalia stylo.  
Exiguæ fateor mihi sunt ad carmina uires,  
Sedibus æthereis impetus ille uenit:  
Si tamen accipies placido mea carmina vultu,  
Fortè secuturo tempore plura dabo.  
Sufficiat pater omnipotens tibi robora firma,  
Nestoris ut viuas secula longa. Vale.*

*Tuæ Excellentiae  
Deditissimus*

*M. Georgius Mauricius  
Noribergensis.*

*IP/a*

## ELEGIA.

Ipso poli facies, leuis & quo cingimur aër,  
Portendunt uarijs sæpe futura modis.  
Nec dubias monstrant nobis miracula pœnas,  
Sunt etenim læsi nuncia signa Dei.  
Namq; ut præteream prisorum exempla uirorum,  
Plurima quæ ueterum scripta referre solent.  
Si tacitus tantum præsentia tempora serues,  
Sat tibi prædicti tristia multa Deus.  
Seu faciem terræ spectes, seu quicquid in orbe est,  
Seu mare veliuolum, sidereum polum.  
Omnia prodigijs occurrent plena tremendis,  
Illa, breui quod sit pœna luenda, monent.  
Tempore quo terras niuib; tegit horrida bruma,  
Quoq; alias sæuo frigore cuncta rigent,  
Vidiss; genus arboreum, camposq; virere,  
Quale solet verni temporis esse decus.  
Iam cùm tempus adeat, niteat quo frondibus arbos,  
Et tumido gemmas cortice palmes agat.  
Tristis hyems redijt, quæ terras frigore stringit,  
Insolitaq; tegit culmina summa niue.  
Adde quod incerta tamen omnia lege feruntur,  
Et stabilem præsens uix habet hora fidem.  
Nunc etenim rigido turbatur frigore cælum,  
Iam madidus pluuias concitat Auster aquas.

A 3 Nunc

Nunc iterum terris Phæbus sua lumina præbet,  
Iam mox Æolidæ mutua bella gerunt.  
Sic quando calidum nuper Titana recepit,  
Quæ pictum assueuit uer aperire, bidens.  
Irati subito uenti, uelut agmine facto,  
Erupere simul, quæ data porta fuit.  
Perflâruntq; omnes uiolento turbine terras,  
Missa uelut claustris flamina cuncta forent.  
Disiecere domos, ac horrea, multaq; tecta,  
Parcere sacratis nec didicere locis.  
Euertere rates Cerealia dona ferentes,  
Hic ubi Leucoreos irrigat Albis agros.  
Illorum insonuit totus concursibus æther,  
Aëreo tantus uenit ab orbe fragor.  
Nesciit Hippotades sobolem retinere furentem,  
Cuncta sed ex rupto carcere turba ruit.  
Ne dubita, tanto rabies audita tumultu,  
Portendit multis sœua pericla bonis.  
Sunt etenim antiquos hæc obseruata per annos,  
Exitus hic certus perpetuusq; fuit.  
Non unquam tanto fremuerunt murmure uenti,  
Quin fuerint summi signa tremenda mali.  
Ciuis in alterius ueb strinxit uiscera ferrum,  
Aut fuit externo dirus ab hoste metus.  
Aut fluidæ cœlum traxit contagia pestis,  
Aut pressere omnes tempora dura uiros.

Ergo

Ergo procul dubio flatus uiolentia tanta  
Maxima præ foribus nunciat esse mala.  
Talia sed quamuis non fas est temnere signa,  
Sunt tamen à nobis tristia uisa magis.  
Nam tremuere etiam quassæ fundamina terræ,  
Ostenditq; grauem uicta tremore metum.  
Ac uix repressi fuerant cum murmure venti,  
Et Regin nutu consiluere sui.  
Cùm nobis aliud maius, potiusq; tremendum  
Obijcitur, turbans pectora mæsta, malum.  
Lucidus Oceano postquam caput abdiderat Sol,  
Et uaga nocturnos Luna regebat equos.  
Ecce videbatur per cælum Phasma stupendum,  
Quà gelidum Borean Mænalis ursa tenet.  
Id propè se cunctas solitum est uariare per horas,  
Dum placida obscuræ tempora noctis erant.  
Totus enim tractus cæli est circundatus arcu.  
Quà uicina polo frigida terra iacet.  
Solis ab occasu fuit hic protensus in ortum,  
Quoq; est conspectus, non locus altus erat.  
Luxit in hoc primum duplex genus orbe coloris,  
Supra albus, nigricans inferiore loco.  
Hic fuit ornatus radys flammatibus arcus,  
Qua specie mucro fulgidus esse solet.  
Hos leuiter uibrans ad lucida sidera iecit,  
Inferret ueluti bella nefanda Deo.

Nec

Nec procul hinc aberat, Geminosq; acceſſerat, albens  
Cynthia, quæ certo eſt nescia ſtare loco.  
Illa refulgebat media tunc fronte per orbem,  
Æmula mox fratris luce futura ſui.  
Iabant ante ſua ſtelle ordine luce micantes,  
Et Iouis, & Martis, Falciferiq; ſenis.  
Pallidus Oebalidas iuuenes Saturnus habebat,  
Mars ferus in Tauro cum Ioue iunctus erat.  
Post ſeſe attollens in partes funditur omnes,  
Ac facie cerni ſplendidiore cupidit.  
Nec requies, donec ſe circumduxit in orbem,  
Et fuit in gyri forma rotunda modum.  
Noctis erat medium, ſolam ſi demferis horam,  
Flexaq; iam pigri plauftra Bootis erant.  
Soluit ubi alma quies volucrum genus atq; ferarum,  
Omnia quando silent, ſidera ſola micant.  
Totius eſt cœli ſpecies tum fulgida viſa,  
Hic vbi Parrhasiæ Virginis axis erat.  
Excepta parte hac, quæ æqualibus undiq; diſtat  
Ac circo ſpacij, & media eſſe ſolet.  
Nam quod ibi conſpecta foret barathri alta vorago,  
Huic parti nubes eripuerē diem.  
Conſtitit aſt orbis medium prope Virginis aſtra,  
Hic vbi terribilis cauda Leonis erat.  
Illa parte poli Berenices quæ Coma fulget,  
Quod trigoni formam ſidus habere ferunt.

Nec

Nec procul inde stetit, sequitur qui tarda Bootes  
Plausta, Borysthenicis astra propinqua locis.  
Quà nuper, retro numeratis quattuor annis,  
Visus erat dirus crine Cometa suo.  
Infelix cæli sidus, quod bella minatur,  
Quod populis clades, principibusq; necem.  
Hic mox diuiditur Circus compage soluta,  
Tresq; acies factæ bella cruenta gerunt.  
Vna vrsæ propior gelidis Aquilonibus hæsit,  
Quæ referens tenebras nigra colore fuit.  
Altera, rara magis, liquit fastigia cæli,  
Et fuit Austrinam visa subire plagam.  
Tertia secessit fulgentem turma sub ortum,  
Quo surgit Phœbus, cum minima umbra cadit.  
Hæc tetro densoq; fuit conspecta cruore,  
Ceu tabo & nigro sanguine mixta foret.  
At postquam fuit hæc orbis diuulsio facta,  
Prælia vidisses sanguinolenta geri.  
Pars etenim calidum quæ consistebat ad Austrum,  
Ac ea, quam frigens Vrsa Erymanthis habet,  
Contra se stabant sibi mutua fata minantes,  
Donec ad extremum conseruere manus.  
Telorum radij speciem exhibuere uolantūm,  
Aut qualis bello est lancea torta leuis.  
Agminibus magnis ea pars procedere uisa est,  
Quam rigida Arctoi uis Aquilonis habet.

B Obvia

*Obvia cui fertur calidis quæ mansit in oris,  
Ac propius ueniens addit in arma manus.  
Et iaculum magno crebrum conamine uibrat,  
In partem oppositam, quam Getica Arctos habet.  
Congrediturq; hosti, quantumuis uiribus impar,  
Conflictus animos tanta cupido tenet.  
Irrita quapropter telorum uis manet omnis,  
Et Boreæ à nulla parte nocere potest.  
Sæpe licet summo conatu fertur in hostem,  
Ferre tamen retrò cogitur illa pedem.  
Instat uia magna, sed crebrò victa recedit,  
Dira sed aduerso prælia Marte gerit.  
At ne victa quidem potuit desistere bello,  
Dum metuit tristi subdere colla iugo.  
Sed modicum cedit, ueluti tremefacta, repulsa,  
Colligit & sœuas ad noua bella faces.  
Mox iterum aggreditur reparatis uiribus hostem,  
Instructaq; acie pugna mouetur atrox.  
Infestis pilis contraria pila feruntur,  
Iis Boreamq; frequens torta sagitta uolat.  
Hic iterum hostili concurrunt agmina motu,  
Et noua collectis uiribus arma parant.  
Non aliter, quam si diducat cornua campo  
Dux aliquis, solitus fortia bella sequi.  
Ac ubi forte datur miscendi copia Martis,  
Hostilisq; acies conficienda uenit.*

*Stridula*

Stridula tela volant, ac summa vi geritur res,  
Miles & ense ferox proxima quæq; metit.  
Plurima per campos sternuntur corpora passim,  
Floridaq; humano sanguine prata madent.  
Diffugiunt alij trepida formidine capti,  
Vt vitare fuga fota cruenta queant.  
Sæpius & victis redit in præcordia Virtus,  
Et pudet in turpem vertere terga fugam.  
Idcirco repetunt generoso pectore Martem,  
Conatuq; cinct feruida bella nouo.  
Victores fundunt, oriturq; miserrima clades.  
Dum domiti victor concidit ante pedes.  
Sic tunc illa acies, contra quæ constitit Vrsam,  
Intulit oppositis acria bella locis.  
Victa licet crebrò nescit desistere rixis,  
Bella sed ardenti sæua furore parat.  
Insultans donec Boreas vix impete summo,  
Hostem projiceret contereretq; ferum.  
Sic demum tenues obtrita recessit in auras  
Pars illa, Australi quæ stetit ante plaga.  
Ast in conflictu medio, quo plurima turba  
Incensis animis in fera bella ruit.  
Incurrit subito metuendis cornibus agmen,  
Quod fuit, Eoi stant ubi Solis equi.  
Hoc in utramq; plagam simul irruit impete magno,  
Nec fuit à gemino degener hoste metus.

B 2 Sed

Sed quia strata acies Martem camposq; reliquit,  
Committens timidæ corpora viæta fugæ.  
Confestim turmas Arctoos mittit in hostes,  
Agmina seq; inter conglomerata ruunt.  
Viribus ac summis coeunt, ambæq; cohortes  
Acria feruenti pectore bella cident.  
Arctoæ parti Scythicam quæ respicit Vrsam,  
Qui tenera certet cum niue, candor erat.  
Altera at, Eoo primum quæ venerat orbe,  
Tota oculis nostris visa cruenta fuit.  
Permansitq; color primum distinctus uterq;  
Inciperent nubes cum graue Martis opus.  
At postquam densis acies est mixta cateruis,  
Iamq; ipsis pugnæ maximus ardor erat.  
Sanguineæ nubem maculæ labsumsere cruentæ,  
Et facies cæli dira secuta fuit.  
Heu mihi qualis erat, quantum immutata priori,  
Dixisses alium forsitan esse polum.  
Seu loca visa forent sub utroq; iacentia Phœbo,  
Seu quæ Parrhasio terra sub axe iacet.  
Nil nisi puniceus fluxit cruor æthere toto,  
Ut manâsse atro sanguine cuncta putet.  
Nos omnes viso hoc saeuus circumstetit horror,  
Nostraq; quassauit rigida membra tremor.  
Nec sine sollicito vidisses ipse timore,  
Terribilis facies tam fuit ista poli.

Sed

Sed postquam illa acies, miseranda strage peracta,  
Est iterum Eos visa subire locos.  
Hic coma Niliacæ Berenices cingitur orbe,  
Cuius conspicitur laeteus esse color.  
Ingentiꝝ iterum cœlum se scindit hiatu,  
Parte hac, contracti quæ medium orbis habet.  
Hinc radij gladijs similes telisꝝ coruscis  
Emitti volitant, & loca cuncta petunt.  
Non Euro, aut Zephyro, pluvio nec parcitur Austro.  
Non Boreæ, quem iam Sarmatis ora tenet.  
Sed iaculum torquens nunc huc, nunc proicit illuc,  
Et quacunꝝ potest parte nocere, nocet.  
Non secus ac miles densos qui fertur in hostes,  
Et factis audax in media arma ruit.  
Oblatosꝝ ferox sternit, qua parte propinquant,  
Siue petant pectus, tergora siue petant.  
Integrasꝝ duas certatum vidimus horas,  
Tanta Cupido illos, tantus et ardor habet.  
Nec licet in medio contractus rumpitur orbis,  
Finitur cepti flebile Martis opus.  
Sed noua seditio surgit, nubesꝝ volantes  
Collectæ subito iam noua bella parant.  
Non ardore tamen similes, nec fortibus ausis  
Sunt illi parti, quæ prius arma tulit.  
Nec fuit hæc belli species, subitumꝝ tumultum,  
Concursumque vagum, dixeris esse magis.

B 3

Nam

Nam fuga iam capit, Victor iam pellitur hostis,  
Ac habuit Varias improba pugna vices.

Visa tamen totam sunt hæc certamina noctem,  
Donec ab Eois Lucifer iret aquis.

Nam postquam emicuit tenebris aurora fugatis,  
Sunt etiam finem prælia nocta suum.

Tam tristis species cœlum est conspecta per altum,  
Quæ mala, ceu metus est, multa futura notat.

Credite mortales, ingentia prælia restant,  
Prælia pro patria, religione, fide.

Namq; Tridentinam Präful Romanus ad urbem,  
Qui sub pelle ouium corda Leonis alit.

Concilium cogit, non religionis amore,  
( Nam procul inde abiit cum pietate fides. )

Sed ferus ut lato dominetur in orbe Tyrannus,  
Congerat & cunctas totius Orbis opes.

Nam prius elusas cupit ipse reducere Bullas,  
Hoc torquet, mordet, vellicat, irrit, agit.

Omnibus hoc studium est Latij commune Tyrannis,  
Divitijs spolient Teutona ut arua suis.

Si non succendent animo concepta furenti,  
Si non euentu prospereiore cadent,

Adiunget Varias sibi pacto fædere gentes,  
Flebiles & belli classica dira canet.

Germaniq;, Italiq;, feri discordibus armis  
A criter in se, Marte furente, ruent.

Namq;

Namq; Italos sœni tutantur terga Leonis,  
Sidera Germani clara Bootis habent.  
His ita commissis aderit subito efferus hostis,  
Cui dabitur nostros dilaniare viros.  
Turca ferox fidei sacræ sœuissimus hostis,  
Barbarus aut Moscus non feritate minor.  
Sentiet hic bellax tristem Germania stragem,  
Ni pater omnipotens hæc prohibere velit.  
Hic homines demum cernent miserabile bellum,  
Quale fuit nunquam, dum stetit orbis opus.  
Hic Mars tantus erit, terra ut tepefacta cruore  
Humano madeat, mollis ut vnda fluit.  
Stratorum ut iaceant proiecta cadavera campis,  
Nec tumuli capiant corpora cæsa virūm.  
His ita protritis Victor truculentus abibit,  
Quando suo imperio cuncta subacta iacent.  
Nec poterunt tamen hæc restinguiri incendia belli,  
Sint licet horrendo subdita colla iugo.  
Semper erit noua seditio, crebriq; tumultus,  
In Martem domiti pectora plena gerent.  
Sæpe hos victoris contemnere iussa iubebit  
Libertas, iustum nescia habere modum.  
Cladibus assiduis donec lacerabitur orbis,  
Tanta animis rabies, tantus eritq; furor.  
Sed tuus aduentus veniens mitissime I E S V,  
Qui patris æterni es lux & imago tui.

Ille

Ille dabit finem bellis, tantisq; ruinis,  
Tum stabilem sedem mitia fata dabunt.  
Iam te vera Dei soboles, placidissime CHRISTE,  
Qui sine principio, qui sine fine manes,  
Sollicitis oro precibus, gemituq; profundo,  
Vt gregis in pænis sit tibi cura tui.  
Et mala discutias nobis quæ signa minantur,  
Offensiq; cadat numinis ira tui.  
Sitamen illorum non est medicina malorum,  
Nec tua per nostras flectitur ira preces.  
Ultimus acceleret spacioſi terminus orbis,  
Et postrema leues dent sua signa tubæ.  
In patriamq; tuos, & cœlica regna reducas,  
( Pertulimus siquidem tristia multa satis.)  
Hic bonitas, nomenq; tuum, laudesq; canentur,  
Imperium dabitur cum sine fine pjs.

F I N I S.

153028

AB: 153028





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13



33

ELEGIA  
DE HORRIBILI ET  
TREMENDA SPECIE HIC  
VVITEBERGÆ ET IN VICINIS LOCIS  
conspœcta, & obseruata ab hominibus fide  
dignis, Die 13. Martij. Anno  
1562. scripta

<sup>A</sup>  
M. GEORGIO MAVRICIO  
Noribergensi.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO  
ANNO M. D. LXII.

